



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De Imitatione Christi Libri Quatuor

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput III. Quod verba Dei cum humilitate sunt audienda: & quod multi ea  
non ponderant.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45780)



Ne fit mihi ad iudicium verbum  
auditum, non factum: cognitum,  
& non amatum: creditum, & non  
servatum.

*Loquere igitur Domine, quia audit  
servus tuus: verba enim vitæ æter-  
næ habes.*

Loquere mihi ad qualemcunque  
animæ meæ consolationem, & ad  
totius vitæ meæ emendationem, ti-  
bi autem ad laudem & perpetuum  
honorem.

## CAPUT III.

*Quod verba Dei cum humilitate sunt  
audienda: Et quod multi ea  
non ponderant.*

I. **A**udi Fili verba mea, verba  
suavissima, omnium Philoso-  
phorum, & Sapientium hujus mun-  
di scientiam excedentia.

*Verba mea spiritus, Et vita sunt,  
nec humano sensu pensanda.*

Non sunt ad vanam complacentiam  
trahenda, sed in silentio audienda,  
& cum omni humilitate, atque ma-  
gno affectu suscipienda.



Et dixi: *Beatus, quem tu erudie-  
ris Domine, & de lege tua docueris  
eum, ut mitiges ei a diebus malis,  
& non desoletur in terra.*

2. *Ego (inquit Dominus) docui  
Prophetas ab initio, & usque nunc  
non cesso omnibus loqui: sed multi ad  
vocem meam surdi sunt, & duri.*

Plures mundum libentius audiunt,  
quam Deum: facilius sequuntur car-  
nis suæ appetitum, quam Dei be-  
neplacitum.

Promittit mundus temporalia, &  
parva, & servitur ei aviditate ma-  
gna: Ego promitto summa, & æter-  
na, & torpescunt mortalium corda.

Quis tanta cura mihi in omnibus  
servit, & obedit, sicut mundo, &  
dominis ejus servitur? *Erubescere Si-  
don, ait mare, Et si causam quæris,  
audi quare.*

Pro modica præbenda longa via  
curritur: pro æterna vita a multis  
vix pes semel a terra levatur.

Vile pretium quæritur: pro uno  
numis-



numismate interdum turpiter litigatur: pro vana re, & promissione parva diu noctuque fatigari non timeatur.

3. Sed, proh pudor! pro bono incommutabili, pro præmio inæstimabili, pro summo honore, & gloria interminabili vel modicum fatigari pigritatur.

Erubefce ergo serve piger, & querulose, quod illi paratiores inveniuntur ad perditionem, quam tu ad vitam.

Gaudent illi amplius ad vanitatem quam tu ad veritatem.

Equidem spe sua nonnunquam frustrantur, sed promissio mea neminem fallit, nec confidentem mihi dimittit inanem.

Quod promisi, dabo; quod dixi implebo; si tamen usque in finem fidelis in dilectione quis permanserit.

Ego remunerator sum omnium bonorum, & fortis probator omnium devotorum.



4. Scribe verba mea in corde tuo, & pertracta diligenter: erunt enim in tempore tentationis valde necessaria.

Quod non intelligis, cum legis, cognosces in die visitationis.

Dupliciter soleo Electos meos visitare; tentatione scilicet, & consolatione.

Et duas lectiones eis quotidie lego: unam increpando eorum vitia; alteram exhortando ad virtutum incrementa.

Qui habet verba mea, & spernit ea, habet, qui iudicet eum in novissimo die.

### ORATIO.

*Ad impetrandam devotionis gratiam.*

I. **D**omine Deus meus, omnia mea bona tu es. Et quis ego sum, ut audeam ad te loqui? Ego sum pauperrimus servus tuus, & abjectus vermiculus: multo pauperior, & contemptibilior: quam scio, & dicere audeo. Memento tamen Do-

H 4

mine,



mine, quia nihil sum, nihil habeo: nihilque valeo. Tu solus bonus, justus, & sanctus; tu omnia potes, omnia præstas, omnia imples, solum peccatorem inanem relinquens. Reminiscere miserationum tuarum, & imple cor meum gratia tua, qui non vis esse vacua opera tua.

2. Quomodo possum me tolerare in hac misera vita, nisi me confortaverit misericordia, & gratia tua? Noli avertere faciem tuam a me; noli visitationem tuam prolongare; noli consolationem tuam abstrahere, ne fiat *anima mea, sicut terra sine aqua tibi.*

Domine, doce me facere voluntatem tuam; doce me coram te digne, ac humiliter conversari: quia sapientia mea tu es, qui in veritate me cognoscis, & cognovisti antequam fieret mundus, & antequam natus essem in mundo.